



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Episcopo Et Capitulo Tragurien.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

EPISCOPO ET  
Capitulo Tragurien.

quatenus super tractatu illo nullatenus procedatis prius quam super hoc literas receperitis speciales nostræ intentionis & propositi expressivas; cum & vos nostrum super hoc debuissetis consulere beneplacitum voluntatis. Datum Laterani.

P. BASILICÆ XII. APOSTOL.  
& B. Sancti Petri ad vincula Presbyteris Cardinalibus, apostolice sedis Legatis.

Epi. 35.  
Super codem.

**S**uper negocio societatis Thusciae per dilectum filium Priorem sancti Fridiani nostram & fratrum nostrorum vobis aperuimus voluntatem; ad cuius executionem negocij vos dare credimus operam efficacem. Quocirca discretioni vestra per apostolica scripta mandamus, quatenus si rectores Thuscia ad id exequendum, quod per dictum Priorem vobis significavimus, induxitis, ut Pisani id ipsum pariter recipient & obseruent moneatis attentiùs; & nisi vobis paruerint, interdictum minimè relaxetis. Si vero prædicti rectores adhuc non sunt voluntatem nostram, quam per sepe factum Priorem significavimus, executi; quia satis videretur austерum, si Pisani civitas occasione societatis illius, quam nos, sicut nostis, conduximus totaliter approbandam, tamdiu interdicto ecclesiastico subjaceret, volumus & mandamus ut ab ejusdem civitatis civibus cautione recepta quod quæ pro honore & exaltatione Ecclesiarum & libertate eorum ordinaverimus suscipiant & obseruent, interdictum sine dilatatione qualibet relaxetis. Si autem super his debitam habere non poteritis cautionem, quia civitas ipsa, sicut dicitur, nunc temporis quasi videretur rectore carere, qui plenam in ea exercere valeat potestatem, spe bonæ promissionis quam nobis ejusdem civitatis nuncij fecerunt quod nostro Pisani cives debeant parere mandato, honesta sicut videritis occasione concepta, in eadem civitate divina officia appellatione remota detislicantiam celebrandi. Ita tamen quod si postmodum rectores Thuscia mandatum nostrum suscepient & servaverint, civitas ipsa interdicto subjaceat nisi & ipsa celeriter suscipere curaverit & servare. Datum Laterani.

**S**icut tenor vestrarum literarum nobis aperuit, cum P. lator praesentium in sacerdotali esset officio constitutus, & tanta rerum temporalium indigentia laboraret, quod nec sibi nec suis progenitoribus seu fratribus in necessitatibus propriis posset aliquatenus providere, proprij corporis laboribus & maris periculis multis se non dubitavit exponere, ut de suo labore & acquisitione honesta suam & suorum posset indigentiam relevare. Contigit autem post hæc quod ipse longè à vestra civitate consistens, tam gravi cœpit ægritudine laborare, quod extra se positus desperaret de vita præsenti, & dum in tali esset articulo constitutus, à quadam simplici monacho indutus fuit habitu monachali, & ad monasterium deportatus. Deinde paucis diebus elapsis, cum jam esset in principio suæ convalescentiæ, depositus habitum, & de licentia ejusdem loci Abbatis monasterium dereliquit; & cūpiens progenitorum suorum indigentias subvenire, à vobis suppliciter postulavit, ut posset, sicut prius, in sacerdotali officio ministrare, & vobiscum pariter conversari. Quid autem super his vobis fuerit faciendum, sacro apostolice sedis oraculo humiliter petitis edoceri. Nos igitur vestræ consultationi taliter duximus respondendum, quod licet ista duo inter se repugnantia videantur, ut scilicet quisquam sit extra se positus, & de præsenti vita desperet, si tamen eo tempore quo positus extra mentem asserritur, indutus fuit habitu monachali, cum alienatus non sentiat, ac per hoc non valeat consentire, præfatum Presbyterum denuncietis ab observatione monastici ordinis absolutum, nisi postquam mentis suæ factus est compos, voluntate spontanea professionem fecerit monachalem. Datum Laterani.

## MEDIOLAN. ARCHIEPISCOPO.

**A**d hoc unxit nos Deus oleo lætitia præ confortibus nostris, ut diligamus justitiam, & odiamus iniquitatem, quod tunc laudabiliter adimplimus, cum via regia incidentes, non declinamus ad dexteram, neque ad finistram aliquatenus deviamus, sed iuste quod justum est persequentes, nec pau-

Zep. 36.  
Quod B. Presbyter non tenet ad observantium habitus monachalis, ex eo quod cum gravi ægritudine laboraret, à quadam monacho indutus est habitu monachali.  
Cap. Sicut tenet. De regulis.

Epi. 37.  
Super questione qua inter ipsum & monasterium sancti Donati de Scozula.  
Cap. Ad hoc. De sequitur posse.

C